



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvartum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput IV. (a) Clemens III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74533)

CAPUT IV.

(a) Clemens III.

EX litterarum tuarum insinuatione percepimus, quod Theophilus lator presentium, parochianus tuus, olim uxorem suam in adulterio deprehensam antecessoris tui consensu (b) abjecit. Sed licet illa postmodum habitum susceperit monachalem, predictus tamen vir, antequam illa decederet, aliam (c) superduxit, & cum ea XII. annis vixit, & ex ipsa plures filios suscepit. Ceterum, quia predicta mulier decessit, & quid super predicta copula fieri debeat, & dem duxisti Ap. consulendam, f. r. de fratrur nostrorum consilio respondemus, quod debes eos sine dilatione ab invicem separare, & de adulterio eidem viro poenitentiam injungere competentem; peracta vero poenitentia (c) postmodum aliam liberè poterit in Christo ducere in uxorem.

NOTÆ.

1. (a) *Clemens III.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, sub hoc ritu, cap. 1. nullibi tamen exprimitur cui rescribat Pontifex.

2. (b) *Abjecit.*] Non propria auctoritate, sed iudicio Ecclesie, ne eam retinendo crederetur patronus turpitudinis, ut dicemus in cap. si vir, de adulteris.

3. (c) *Aliam superduxerit.*] Quod facere non

poterat, quia per adulterium non solvitur matrimonium, quoad vinculum, ut probavi in can. 9. Concil. Illib.

(d) *Poenitentiam.*] Cujus formam & tempus retuli in can. 3. Concil. Illib.

(e) *Postmodum.*] Rectè; nam dum erat in statu poenitentiae, nec novum matrimonium inire, nec antiquo uti poterat, ut late probavi in can. 4. Concil. Illib.

4.

CAPUT V.

(a) Cœlestinus III.

CUM haberet uxorem legitimam nomine Alitiam Joannes lator presentium, cum ancilla crimen adulterii perpetravit, quod ipse tibi publicè confessione detexit, sicut nobis tuæ destinatae litteræ demonstrarunt. Cumque super hoc fuisset vocatus in jus, ipsam in iure adulteram (b) abjuravit: postmodum verò posthabito juramento, & contempto, cum eadem matrimonium quaecumque contrahere, & vivente legitimâ ipsi mœchæ diutiùs cohabitare præsumpsit. Denique predictâ Alitiâ de presenti luce subtractâ, nihilominus memoratus Joannes cum præfata adultera per decennium est moratus, a qua etiam decem (d) procreavit filios. Quia igitur consulis, an predicta mulier, & vir simul manere possint, vel si debeant separari, utrum liceat eis ad alias nuptias convolare, tale damus consultationi tuæ responsum, ut separentur omnino, & eis competentia poenitentia injunctâ, perpetua (c) continentia indicatur, præsertim cum in dies suos ambo processerint, & jamdiu publicè in adulterio, & perjurio ex certa scientia perdurantes, Ecclesiam in gravi scandalo perturbarunt. Nosti enim, quod Leo Papa statuit, ut nullus ducat in matrimonium uxorem, quam adulterio polluit; & quod hîc plus processum fuerit, quàm si fides duntaxat præstita fuisset adulteræ, ut defunctâ legitimâ, adulteram eam duceret in uxorem, cum eadem etiam vivente, quasi matrimonialiter mœchæ mœchus adhaerere præsumpsit, & Sacramentum suum temerè violare. Quod utique connubium, ubi etiam nulla intercessit religio juramenti, tam Gregorius Papa, quàm Triburiensis Synodus detestatur; & utrumque hoc modo conjunctum præcipit publicæ poenitentiae subjici, ac perpetuò sine ulla spe conjugii permanere. Nec certè aliquod idem I. & M. adminiculum offerunt, ut simul maneat, quòd decennio cohabitaverint invicem, ac decem susceperint filios, cum multiplicitas prolis ita susceptæ magis eorum crimen exaggeret, & diuturnitas temporis non peccatum minuat, sed augmentet: sollicitudinis tuæ tamen intererit, ut uterque provideat suis liberis procreatis, & secundum quod eisdem suppetunt facultates, sustentationi eorum necessaria subministret.

NOTÆ.

1. (a) *Cœlestinus III.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, sub hoc ritu, cap. 2. nullibi tamen exprimitur, cui rescribat Pontifex, quod fredo, D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. IV.

quenter notavi in hujus Pontificis decisionibus.

(b) *Abjuravit.*] Id est cum juramento promissit, se nunquam cum ea commixturum, ut in cap. clericos 3. de cleric. conjugat.

(c) *Perpetua continentia.* Perpetua quidem continen-

2.

M 3

tinen-